

D. G. Fr. Selegmann 1707

De Lutherum cum veris sanctis comparato

De pontific. calumniis in Lutherum,  
et  
vulg. contra eas defensoribus

Wk. 194 (113)  
Wk. 194.

III 784.  
Yc  
6220

**RECTOR**  
**ACADEMIÆ LIPSIENSIS**  
**MEMORIAM**  
**REFORMATIONIS,**

**DOCTORE MAGNO,**  
**B. MARTINO LUTHERO,**

*d. XXXI. Octobr. A. C. 1517.*

FELICITER COEPTÆ,  
**IN TEMPLO ACADEMICO**  
**SOLENNITER CELEBRANDAM**  
**I N T I M A T.**



I. N. J.



Nnumera propemodū sunt convitia, quibus selectum Dei Organon, *B. Lutherum nostrum*, à tempore Reformationis ad præsentia usque, sat impie præscindere haud unquam ferè erubuerunt Adversarii. Æque ut Pharisæi olim, cum in dogmatibus Domini ac Salvatoris nostri non invenirent, quod reprehendere quòdam cum successu possent, relictis hisce, varia evomebant, quorum allegatione Personam Doctoris summi suspectam reddere iis, qui adamabant ipsum, annitebantur. Unde illa perversissima nomina, hominis edacis & vini potoris, malefici, seductoris, &c. passim in Evangelistarum monumentis sunt obvia, per sanctam optimi Redemptoris innocentiam evidentissimè refutata. Sic & hactenus, tum se bene rem egisse, non minima à Pontificiis pars est arbitrata, ubi, sepositis quasi tantisper doctrinis, quibus revellendis, utpote è sacro derivatis fonte, se impares profecto sentiunt, de Viro Dei indignissima quæque in medium afferre, perfrictà fronte, non tergiversantur. Quorum nequitia tamen & Megalander ipse, cum viveret, & alii deinceps ex Nostratibus feliciter iverunt obviam, idque effecerunt, ut falliloqui & improbitatis suæ non pauci, velint, nolint, abundè sint convicti. Faciuntq; huc in primis, quæ brevi in sciographiâ sistit primùm, ac postmodum dilucidius enucleat atq; rejicit, rejectione insuper vindicata, B. Johannes Müllerus, Theologus Hamburgensis. Quod solidissimum scriptum, uti in omnium ferme manibus, ita dignum omninò est, quod studiosè legatur ac relegatur. Elogium, quò merito ornatur, vid. in B. Veiel. *Defens. Eccles. Græcan. Sect. VII. Art. IV. sub fin.* Ausint interim, qui correctionem ex adversariis detrectant, cramben toties male coctam recòquere; ausint convitia, si valent, convitiis adaugere. Laus sit Ecclesiæ suæ Governatori ac Tutori maximo, Domino ac Deo nostro, quod adsint vicissim, quorum iudiciò haud temerariò & *Luthero* laus debetur non parva, & opus, quod perfecit, tanti aestimatur, ut inter summe salutaria cœlestis gratiæ beneficia rectissime credant esse reponendum. Placet impræsentia-





tiarum unicum audire testem, eumq; Principem Virum, Georgium  
innuo Anhaltinum; cuius scripta quotiescunque lego, (hanc vocem  
tributam reperimus Serenissimo Comiti Palatino Rheni & Duci  
Bavariae, Ludovico,) adeo afficior, & tanta cum admiratione insignia  
ejus dona suspicio, ut si à Deo integra mihi optio daretur, non Romanum  
Imperium magis, quam simile donum docendi & scribendi seligerem.  
v. Hist. & Necesitat. Reformat. ex istis scriptis assertam à laudato mo-  
do B. Veelio Proæm. p. 24. Sic verò ille pientissimus Princeps: Multos,  
atque, virtute, pietate & eruditione prestantes viros spirituales & secula-  
res, de magnis & horrendis abusibus, serè conquestos, & publico omnium  
cum gemitu reformationem inde à Constantiensi & Basileensi concilio,  
nec non & ante exoptatam esse. Tandem vero adeo crevisse illorum Im-  
pudentiam, qui indulgentiarum introducebant nundinas, ut ne quidem  
simplicissimi quique tolerare eam diutius potuerint. Ibi dum nemo Epi-  
scoporum, Theologorum & Doctorum, partim metu, partim, quod Pontifici  
juramento obstricti essent, mussitare contra auderet. Ex singulari gra-  
tia Deum Reverendum & doctrinà prestantem virum, Dominum Marti-  
num Lutherum, sanctæ memoriae, excitasse, eique mentem, cor & ani-  
mum addidisse, ut opponeret se publice. Eum primum rudissimas saltem  
illas abominabiles taxasse, ut, quod Indulgentiarum mercatores impu-  
dentissime proclamabant, & quidem publice, quod ipso cadentis in cistam  
denarii sono redimerentur ex Purgatorio anime. Item, quod auditu  
horrendum est, tantam esse affirmabant indulgentiarum vim, ut, si quis  
virginitatem Genitricis Dei violasset, remissionem consequeretur. Cum-  
que Tezelius, Monachus Prædicatorum ordinis, cum aſſectis, ad de-  
fendendas manifestas hasce fraudes Pontificis allegaret auctoritatem,  
omniaque mentito, fraudulentò atq; impio huic fere superstrueret funda-  
mento: Singulari Dei dispositione datam esse occasionem Luthero, inqui-  
rendi in Scripturis, quatenus se Pontificia Potestas extenderet. Inve-  
nisse itaque principalia doctrinæ capita, de verâ pœnitentiâ, remissione  
peccatorum, fide ac fructibus fidei, bonis operibus, sacramentis à Christo  
institutis, mutatâ ac perversa omnia, & ad illos extra Christi institutio-  
nem abusus detorta; omnem in super salutem & peccatorum remissionem,  
indulgentiis, peregrinationibus, sanctorum meritis, imò etiam operibus &  
meritis propriis incumbere. Juramento itaque, quod ipse S. Theol. Do-  
ctor



Et or praesertiterit, & sua compulsus, ut sepe retulerit, conscientia, errores  
bos monstrasse, contra vero puram ex verbo Dei doctrinam, in lucem pro-  
tulisse, ac fideliter magna fide docuisse. Quae omnia in Praefatione,  
quam Conc. de falsis prophetis praemisit, penitius consideranda sug-  
gerit. Taceo plura fructum Operis edifferentia, quae in allegata jam  
historia & necessitate Reformationis plenius exhibentur Sect. V. Art. V.  
p. 427. Sufficiat impraesentiarum vel haec adduxisse, ita comparata sa-  
ne, ut recordationem tam eminentis Viri, qui Dei verbum adeo dex-  
tre, adeo sollicitè locutus est nobis, (Ebr. XIII. 7.) omni, in primis isthòc  
die, quo initium factum est beatissimi praeconii, enixe nobis com-  
mendent. Incidit autem, dum ad inculcandum hoc debitum ma-  
num applicamus, Gregorii Nysseni sermo, quem fratris sui, Basili Magni,  
honori ultimo consecravit; cuius cardo in eò versatur, ut cum  
praecellentissimis & in V. & N. T. viris desideratissimum fratrem  
conferat. Extat oratio Tom. III. Opp. f. 479. Neque desunt, qui  
pari modo in Lutheri laudibus extollendis occupantur; hanc tamen  
potissimum cum cautione, ut non aequalem per omnia illis, quibus-  
cum componunt, praedicent; magnam nihilominus inter utrosque,  
quoad dona in primis quaedam divinitus concessa, agnoscant con-  
formitatem. Atque ita, quibus Mose videatur assimilandus, in prom-  
ptu sunt, praecipue si animum spectes imperterritum. Quem quidem  
in Mose evehit Siracides, cum Deum ait magnum ipsum fecisse in timo-  
ribus bestium c. XLV. 2. Ac in Lutero quis eundem non veneretur?  
De quo verè Philippus Melanchthon: quod nullis unquam terroribus  
se ostenderit fractum; cum nisus semper fuerit anchora sacra, i. e. auxilio  
Dei. Refert verba ex T. III. Orat. Witeb. p. 27. B. Dannhauerus in  
Memor. Tharunaf. renov. c. X. §. 2. Docentque idem, quae de se ipso  
recenset Suis Islebiae T. Altenb. I. f. 734. Item quae ad Electorem scri-  
psit T. Altenb. II. f. 91. seqq. Tom. IV. f. 565. alibi que. Ita in Samuele de-  
prehendunt aliqui ad Lutheri historiam non incommodè applican-  
da. Vocabatur Samuel à Domino ternà vice; nec advertabat tamen  
se ad tanta excitari, qualia deinde expediunda erant; i. Sam. III. 4. seqq.  
Et absque dubio de Lutero id adstruendum est, quod sub initium  
non satis perceperit, cui negotio à Deo sit destinatus. Fatetur lubens,  
se trepide illud cepisse, quod aggressus erat, nec absque angustiis prio-  
res



res transegisse annos. *Multa enim, inquit, tum nesciebam, qua nunc per Dei gratiam scio.* Occurrunt hæc in præf. Lat. ad Opp. T. I. A. 1545. scripta, & paulò postea prolixius *T. I. Altenb. f. 11.* Sic *Samuelis* tempore Sacerdotisungebatur officio Eli cum filiis suis. At itaungebatur, ut *rarus esset sermo Jehovæ.* Sibi nempe prospiciebant filii, suisq; indulgebant voluptatibus. Populi curam habebant parcam, imò ferè nullam; *1. Sam. III, 7. II, 12. seqq.* Et ò non minus, nisi fortean & magis miseram illorum temporum conditionem, quibus ad lumen Evangelii redaccendendum instigabatur divinò ductu *Lutherus!* Delineant eam querelæ ab ipsis Pontificiis non dissimulatæ Quarum tenorem explicet nobis Instructio *Adriani VI.* quam *Francisco Cheregato,* Nuntio *Noribergam* amandato, impertiverat; cujus summa eò tendit, ut fateatur inter alia, *etiam in ipsâ sanctâ sede ab aliquot annis abominanda pleraque perpetrata; multos fuisse abusus in spiritualibus, multos excessus in præceptis; denique omnia sic in deterius mutata, ut lues à capite ad membra, à summis Pontificibus ad minores præfules deurgens, latè se diffuderit, ac vix unus aliquis reperiat rectè faciens atque ab eâ labe immunis.* Vid. *Heidegg. Tumul. Trident. Concil. T. I. p. 11.* Ut plura hic non difficulter attingenda prætereamus. Ad *Johannem* porrò *Baptistam* ablegamur veluti, ubi de iis dispicimus, quibuscum comparari adinvenimus *Lutherum.* Illumque in eò elaborasse *Spiritus S.* testatur, *ut converteret corda parentum in Filios, & rebelles ad prudentiam Justorum, ut pararet Domino populum instructum,* *Luc. I, 17.* Atque hic labor, hoc studium fuit quoque *Lutheri;* *Angeli* illius per medium cælum volantis & habentis *Evangelium æternum;* dicentisque magnâ voce: *Timete Deum, & ei tribuite gloriam, nam venit hora judicii ejus: & adorare eum, qui fecit cælum & terram & mare & fontes aquarum,* *Apoc. XIV, 6. 7.* Neque obest, quod non aquè retinuerit vestimentum tale, quale *Johanni* adscribitur *Matth. III, 4.* Respondet *Lutherus:* *Was thuts darzu/ob ich eine Kappe oder Platte trage oder ablege? Machet die Rappen und Platten Mönche?* *T. I. Altenb. p. 837. c. T. VI. f. 20. seqq.* In doctrinâ & pio zelo quaritur paritas; atque hanc in *Lutero* si neges conspicuam esse, certè à veritate abis. Ad *Johannem Baptistam* multi se conferebant, ut discerent, *quid faciendum esset?* *Luc. III, 10. seqq.* Atque istud & Magi-



stratus & alios quoque docuit Lutherus, ut vivere possit quisque læta cum conscientia in statione sua; ex quo vel solo sibi gratias deberi ac favorem, ipse judicat *T. VI. A. f. 7.* Adde, ut id à summis Principibus agnitum fuerit, *T. IV. A. f. 525. T. VII. f. 570.* Nec deforent forte, quæ attendere liceret, ubi ad *Jobannem Evangelistam & Theologum* etiam respicere vellemus. Nam & *Evangelistam* divinà gratià semet vocare si non vereatur Lutherus, nihil se facturum, quod improbari queat, nervosè demonstrat *T. II. Alt. f. 162.* Et ut *Jobannes*, sic *Lutherus* quoque in Pathmo suo latuit; latuitque tam securè, ut nec magi sciverint locum refugii, quos consuluisse ejus causà Pontificem Romanum Autores memorant non contemnendi; Chytræus præsertim *P. I. Saxon. p. 580.* Ne venenum urgeamus, quod & Luthero propinatum aliquando fuisse, multorum suspicio est, sed ob ruptam inferiorem vitri partem inani successu. Vid. *Seckendorff. Hist. Luth. L. I. f. 44. §. 98. add. lit. f. c. Mattbes. de Vit. Luth. Conc. XV. p. 186.* Elegantissimæ præterea non possumus non meminisse comparationis inter *Paulum & Lutherum*, quæ à Summè Reverendo longèq; celebratissimo Gryphiswaldensium hodie Theologo ante biennium in ipso Lutheri Natalitio die publicæ luci fuit exposita, ubi, quæ circa Parentes, circa studia, circa vitæ disciplinam, circa conversionis negotium circa dogmata, circa fata, circa finem vitæ sub conformitatis cujusdam rationem rite pertrahi potuerunt, solidissimè sunt annotata. Huc facientia omnia, ut *tantis cum viris* comparandum *Lutherum*, ob oculos sapius habeamus, neque facile, *operis* illius, quod post Deum, Autorem & Directorem summum, debemus ipsi, tanquam Organo ac Ministro divinitus selecto, memoriam ex animo nostro facile dimittamus. Quanquam mirari vix queamus satis, & ex iis, qui, quæ Lutherus præstiterit, poterant, modo vellent, dexterius ponderare, existere nihilofecius nonnullos, quibus æstimum hoc, quo Beatissimum virum prosequimur, in malam rapere partem haud indecens habetur. Et quem vel maximè hic monitum cupiamus, difficilis non est conjectura. Neque præteriremus iniqua Censoris, minus omninò tolerandi, desiderata, nisi ferias fecisset nobis Maximè Venerabilis Argentoratis Theologus, qui ante quinquennium Vindicias B. D. Martini



ni Lutheri eidem solidissimas opposuit. Minimè hæc nostra est Sententia, supra omnem sortem humanam extollendum quasi Lutherum esse. Et hominem Lutherum novimus, & eum, qui humani quid pati, adeoque errare potuerit, & se proin suaque Scripta S. Scriptura censuris lubens subjecerit, neque quicquam, quod his repugnaret, acceptari aut credi voluerit. Diese Kayserin (die H. Schrift) soll herrschen und regieren / und alle andere / sie heissen / wie sie auch wollen / ihr unterthan und gehorsam seyn; sollen nicht ihre Meister und Richter / sondern nur allein schlechte Zeugen / Schüler und Bekenner seyn / es seyn gleich der Pabst / Luther / Augustinus, Paulus oder ein Engel vom Himmel herab / &c. ita ipse T. VI. A. f. 56. Nec, dum eum aliis conferimus, aut insigne unum alterumve præ pluribus aliis elogium ipsi tribuimus, extra orbitam vagari nobis propositum est. Valeat in omnibus, quod de *Propheta* encomio scriptis B. Hutterus: *Licet à nonnullis nostrum, interdum publicis in Scriptis, B. Lutherus nominatus sit Propheta, ἐν πλάτῃ; tamen id factum est, non cārione, quod Propheticam ipsi Autoritatem assignare voluerint; sed ἀναλόγως, quia partim singulari Dei beneficio in hoc ipsum mirabiliter & extraordinariè excitatus fuit, ut Scripta Prophetica & Apostolica variis corruptelis conspurcata, nativo nitore restitueret: partim verò Spiritu vaticinico præditus, multa & magna prædixit, quæ ipsa postea & verè sunt impleta &c.* Vid Concord. Concordem C. XI. p. 349.

Atque idem etiam de ea comparatione statuendum esse non diffitemur, quæ inter *Eliam* & *Lutherum nostrum* passim est obviam. Sunt, qui & hanc ægrè ferunt, Observatores, ambiguntq; an *invidiosis* an *superstitiosis* titulis accensere debeant, & nescio quod *Idolum Theologastrorum* inde conficiunt. Absit vero, ut nos avocet isthæc sinistra bonam mentem interpretandi licentia, quo minus & monetam laudemus, quæ sub *Tertii Eliæ* elogio *Lutherum* sistit; & Carmen *Adami Sberi* Lutheri Iconi subscriptum, cujus & inirium & finis his verbis absolvitur:

*Nostrum fuit Seclum Lutherus HELIAS.*

Ingens eorum numerus est, qui ibi negantium sub censu comparent; quibus an velint etiam alii diversum sentientes jungi, nunc quidem

no-



QX4/6220

X 3047650


nosrum non erit inquirere, Forte personatum *Eliam Ministerio-Ma-*  
*fygem* lubentius agnoscerent aliqui; cujus tamen zelus qualis sit, pe-  
 nitior scripti ab ipso editi evolutio docet. Zelum vicissim in Luthero  
 eum fuisse, ut, licet *naturâ fuerit ardens & iracundus, tamen intra sui*  
*muneris metam constanter manserit*, diserte exponit Melanchthon in  
 historia de Lutheri vitâ. c. Seckend. *H. Luth. L. 3. S. 36. §. 135. f. 650.* Ut au-  
 tem tempora Eliae cum iis concordent, quibus Lutherus vixit, præfa-  
 tio edisserit, quam Wesseliû Gröningens. Scriptis Beatissimus Vir præ-  
 misit, *T. A. II. f. 206.* Nobis illa ulterius prosequi jam non est integrum.  
 Prosequetur plenius *luculentâ Oratione*, atque sic dici castino sua-  
 solennia cum Deo faciet Præximius Præclareque Doctus DN.  
 M. JOHANNES JACOBUS *Stöckhardt* / *Putzkaviensis* *Misnicus*,  
 LUTHERUM, *novissimorum temporum ELIAM*, *Ecclesiam la-*  
*psam restaurantem*, in medium producturus. Ad quam audien-  
 dam ut confluere haud gravatim *PROCERES UTRIVSQUE*  
*REIPUBLICÆ CIVESQUE ACADEMICI* velint, id est,  
 quod officiosè ac peramanter ab Iphis contendimus. Renovabitur  
 hoc pacto iterum inter nos *Magni Doctoris nostri memoria* in Acade-  
 mica pariter æde, ut renovatur merito, publico jussu, in omnibus ur-  
 bis inclutæ templis. Renovabitur *memoria Operis*, tanti Viri curâ  
 suscepti, ac, Deo assistente, ad finem feliciter perducti, in quo non  
 latari non possunt, quibus *letitia in Domino robur est*, Neh. VIII, 8.  
 Faxit ille, à quo hoc bonum omnine principe loco est, ut ad finem  
 mundi usque solennia illa repetere liceat; liceat inter non interrup-  
 tos recordari plausus *Doctoris tantis*, atque, quicquid crepent, quic-  
 quid contrarii voveant convitiis inventores, hostes Doctrinæ  
 sanæ, exclamare:

**Gottes Wort und Luthers Lehr  
 Wird vergehen nimmermehr.**

P. P. Lipsiæ Domin. XIX. p. Trinit. Anno M DCC VII.

LIPSIÆ, Literis IMMANUELIS TITII.





B.I.G.

Farbkarte #13

07  
*is sauchis comparato*  
*is in Lutherand,*  
*descriptus*  
704.

Yc  
6220

TOR  
LIPSIENSIS  
RIAM  
LATIONIS,

E MAGNO,  
LUTHERO,

obr. A. C. 1517.

R COEPTÆ,  
ACADEMICO  
CELEBRANDAM  
I M A T.

